

DIS MANIBVS
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
DOMINI
FRIDERICI VVILE
HELMI,
DVCIS SAXONIAE, JVLIACI, CLI-
VIAE ET MONTANIAE, COMITIS PROVINCIALIS THVRIN-
GIAE, COMITIS LIMITANEI MISNIAE, PRINCIPALI DIGNI-
TATE COMITIS HENNEBERGAE, COMITIS MAR-
CAE ET RAVENSBVRGI, RAVENSTEI-
NI DYNASTAE.

*HEROIS PII, JUSTI, FORTIS, CLEMENTIS, IN-
CLYTI, PACIFICI*

PATRIÆ PATRIS

OPTIMI MAXIMI



HANC PARODIAM ECLOGAEX. VIRGILIANAE
SACRAM ESSE VOLVIT

CASPAR SAGITTARIVS, LVNEN-
BVRGENSIS, RECTOR SCHOLAE SALFELDENSI.

ALtenbVRGI,
TYPIS BAUERFINCIANIS, cLo dIC L XIX.

H. Sax. B
34, 18

Hist. Sax. B. Fasen.
N. 4



Xtremum hunc, DEVS ALME, mihi con-
cede laborem!
Pauca PATRI PATRIÆ (sed qvæ legat
IPSA PROPAGO
ILLVSTRIS, tanto PATRIÆ dignissi-
ma PATRE)
Carmina sunt dicenda, neget qvis carmina
tanto
HEROI: qui GERMANOS caput extu-
lit inter

HEROAS tantum, quantum longæva cupressus
Exsuperat reliqvas prægrandi stipite frondes.
Sic TIBI, cum nomen, decus atque perenne manebit,
Dum Salæ ruricolas interlabere Thuringos
Invida non Momus dicta intermisceat unquam.
Incipe: FRIDRICI dicamus fata WILHELMI.
Non canimus surdis: respondent omnia montes:
Stant & oves circum, nostri nec pœnitent illas
Nec TE lanigeri pecoris, CELSISSIME PRINCEPS
Pœniteat, tondere solens, deglubere nunquam.
Qvæ nemora, aut qvi vos saltus habuere puellæ
Najades, ante diem cum fata tremenda tulerunt
SAXONIAE columen? juga nam præcelsa Salana
Non fecere moram, credo, nec Plisica Tempe.
Apta fretis abies flevit, flevere myricæ,
Quadruplicisqve pater fontis, mons Pinifer illum
Flevit, & angustos fletus descendit in amnes.
Nec lacrimis cartuit Rhenus, Tanaisve nivalis,
Inqve Giganteus lacrumas dissolvitur Albis.
Venit & Hercyneus pater, & memorosa Gabretæ.
Omnes: O PATRIAE PATER OPTIME MAXIME! qvorsum
Qvorsum tendis: abit sublatus ad æthera clamor.
Sancta Themis venit, querulis juga vocibus implens:
INGENS JURIS HONOS, DVX SERVANTISSIMVS AEQVI,
EXVLAT HIS TERRIS, COELI CONVEXA SEQVTIVS.

Ae-

Atque Salæ Præses venit, cuī cura secundæ
Sortis, & æqvorei cessit tutela tridentis
Mox quoqve Vulcanus venit, qvem vidimus ipsi
Ferro fulgentem, cuproqve aliisqve metallis.
Et qvis præfuerit nunc montibus? inquit, amorem
Sollicitum, & magnam curam fulva æra reqvirunt.
Non Rhea fossorem saturabit flava profundum;
Nunquam regificos thesauros gaza reponet,
Maxima Tyrigetæ fuerit ni cura metalli.
ODVX, Successus si tantos TANTVS habebit
SVCESSOR: TIBI tum qvam molliter osa qviescent!
Fistula pastorum TE terqve qvaterqve beatum
In GNATO dicet: cantus cantare periti
Tyrigetæ reddent, referentqve ad sidera voces.
Venit & agresti capitis Sylvanus honore:
Atque utinam ex nobis unus, nostriqve fuisses
Præsens præsidium gregis, & TIBI frondea tecta
Heic construxisles, nunquam genus acre luporum
Incustodito teneroqve inhiasset ovili.
Nec furor alterius rapuisset vitibus uvas,
Nullaque maturis nocuissent frugib[us] imbres,
Arboribus venti, nobis Chryseidis iræ.
Hic gelidi fontes, hic sunt quoqve mollia prata,
Hic nemus, hic violæ nemori & vaccinia nigra.
Ubera dant saturæ manibus pressanda capellæ
Et gravidæ complent mulætralia candida vaccæ.
Nam bene adhuc memini, qvi TE Mavortis in armis
Tela inter media, atque adversos detinet hostes
MAGNVS AMOR NOSTRAE TELLVRIS, frigora nulla,
Nulli quem venti, nulla est remorata procella.
Quæ benefacta novo nobis sunt condita versu,
Atque inter Sylvas, inter spelæa ferarum,
Sylvestri licet, usqve nova modulamur avena.
Interea arboribus teneris incidere nostros,
Qvos nobis luctus tua tristia fata dederunt,
Est animus: crescent illæ, nostriqve dolores.
Hos custos ovium, leget hos de glande Menalcas
Vvidus hyberna veniens: non ulla vetabunt
Frigora, qvominus hos venator legerit, hirtos
Cum venatus ap[er]os, aut cervis retia struxit.
Dixerat. Et rursus ferali turbine clamor

Tell

Tollitur in cœlum; rupes sonuere cavatæ,
Et luci sonuere; tonat cœlum omne tumultu (GNVM
MAGNE PATER PATRIA E, PATER OPTIME MAXIME, MA-
PRÆSIDIVM PATRIA E, quo non præstancius ullum
Præsidium! sine TE non est medicina dolori,
Nulla malo sine TE fuerit medicina manenti.
Res nostrum adversæ nunquam mitescere discent
Adversis: placet usqve novos adferre dolores.
Jam neqve sylvestres calami, neqve carmina rursus
Ipsa placent: nunquam cantabitis Arcades ipsi.
Nec tñ frigoribus mediis nos æstus haberet,
Nec calido frigus si ferret Sirius astro,
Nec si præcipiti cursu ferremur in undas,
Finis erit nostris lacrumis, & pausa dolori.

Hæc sat erit, SAXO, civem cecinisse *Selenes*;
Sed civem, nunc SAXO, tuum susceptus in orbem
Qui sedet, & *Salici* ludi moderatur habenas,
Excolit & reliqvas, qvas *Julia* tradidit artes.
At vos Pierides paulo majora canetis
SAXONIS immensa laudi, qvæ crescit in horas,
Quantum vere novo viridis se subjicit alnus.
Nec prius, Autumno qvam Ver miscebitur; Æstas
Aut Brumæ; aut serus Vesper migrabit in Ortum,
SAXO tuum nomen, laudesqve O SAXO! peribunt.

F I N I S

